



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit privilegium, & an ad illius substantiam requiratur scriptura, & quomodo à dispensatione differat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS XXXIII.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM.

SECTIO I.

De privilegiis in communi.

§. I.

Quid sit privilegium, & an ad illius substantiam requiratur scriptura, & quomodo à dispensatione differat?

Privilegium, quamvis latè loquendo accipi possit pro privata lege, speciale aliquod beneficium vel favorem concedente; stricte tamen ac proprie dictum privilegium dici solet, *Rei alicujus seu juris specialis contra vel præter jus commune ex Principis benevolentia concessio*. Et quamvis ad substantiam illius non requiratur scriptura, cum dentur vivæ vocis oracula, ad probationem tamen privilegii, & hujus firmitatem plurimum sæpe conducit scriptura. A dispensatione verò differre videtur privilegium, tanquam species à genere, quòd privilegium sit contra vel præter jus, dispensatio verò sit contra jus, & quòd privilegium sit quid permanens (saltem ordinariè) non autem dispensatio, sæpe pro uno tantum actu licito faciendo concessa.

Compen d. Pirhing.

§. II.

Quotuplex sit privilegium, sive quomodo dividatur, & quis possit concedere privilegium, & quibus concedi possit?

Privilegium aliud est personale, quod immediatè & directè personæ conceditur, cum hac expirans; aliud est reale, quod immediatè, & directè ipsi rei conceditur, durans, quamdiu res durat; aliud denique mixtum est, quod certo v. g. generi personarum, minoribus v. g. filiis familias, fœminis, &c. est concessum, ita tamen, ut etiam ad hæredes transeat, aut alios successores in officio, statu, dignitate, &c. & quamvis tota hæc realium & personalium privilegiorum diversitas ex intentione concedentis dependeat, si tamen dubium est, personale, an reale sit privilegium, & ex conjecturis de intentione concedentis nihil appareat, re&e censendum erit privilegium reale, favorabile si sit, & merum favorem contineat; odiosum verò si sit, cedens in præjudicium aliorum, personale censendum erit, ob odia restringenda, & favores ampliandos. Dividi etiam potest privilegium, in perpetuum, & temporale, illud absolutè, & sine limitatione temporis conceditur, hoc ad certum tempus restringitur, &c. quarum

Kkk kk

divi-